



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 79. Tanquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere  
me. v. 55.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

quomodo pijsimum cor tuum ferre potuit, ut dilectum filium tam dira pati videres nec ei tamen ferres opem & auxilium! ut quid, ô Pater, Pater, ita dereliquisti eum? cur paterna tua viscera non sunt mota compassione erga dilectum unicum tuum? quiste, peregrinus vicit amor? Agnosco animum? sed quæso, quid est homo, quod sic amas eum, misereris hominum peccatorum & deseris unicum tuum! ut homines apud te exalcentur in cælis! filius tuus tam ignominiose humiliatur in terris, ut peccator reus & impius liberaretur ab inferis! sanctus innocens, impollutus, unicus tuus qui nunquam peccatum admisit, miserandum in modum & tanto cum impetu tractatur & ducitur ad mortem, quid hoc? capere non possum. Unum te rogo, ô Pater benignissime, propter unigenitum tuum quem tam horribiliter percussisti propter scelera nostra & totum tradidisti in manus crudelium turbarum, quæ eum ita enormiter tractant sine causa, ordine & modo, ut in omni actione mea omnia non impetu & præcipitatione mentis sed cum ordine, pondere & mensura id est discretionem, præmeditationem, prudentiam, fortitudinem & serenam conscientiam agam, ut sic per me lauderis & omni hora benedicaris. & iste sit fructus unus sanctæ Passionis.

§. 79. *Tanquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me. v. 55.*

Exprobrat hic cohorti indignum modum & minime necessarium, ipsum comprehendendo, nempe, tanquam latronem, qui tanquam Propheta sanctus apud ipsos habitus fuerat, bene meritis in multis, sanaverat plurimos à morbis variis, cibaverat tot millia in deserto esurientium &c. his tamen insuper habitis, adhuc eum velut latronem capere venient. Merito hoc dixit Iudæis, ut in se reversi quandoque agnoscerent quam ingrati fuissent & inique egissent.

**O** Domine omnia verba tua tendunt ad docendam virtutem & sapientiam, qui es ipsa sapientia Patris, & verbum. ô quoties simili modo mihi peccata mea, Deus meus, exprobrare potuisti, pullasti ad ostium cordis mei per inspirationem tuam, beneficiis blanditus es, consolatione demulcisti, afflictionibus compulisti & tamen repulsam passus es semper, vel certe plurimum, dorsum tibi verti, quod ipsum tamen benigne sustinuisti. Nunc ergo doce me sedium tuarum sapientiam, quæ mecum sit, mecumque laboret, ut sciam quid acceptum sit deinceps coram te & perficiam.

§. 80. *Quotidie apud vos sedebam in templo docens & non me tenuistis. v. 55.*

Pergit exaggerando beneficia, quæ Iudæis exhibuit. Inter alia quod